





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante  
inter Myrtos, Halle 1739.

2. Moller / Christoph Gottfr. / diff. de genuina  
vorum xarakter et ypostasi notione,  
Lippie 1738.

3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de Jesu Christo  
vindice dogmatis de mortuorum ad  
vitam reditu, Helmst. 1740.

4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatris.  
Lippie 1726.

Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines,  
Jena ~~1767~~ 1701.

diff. de regno Israelii restaurato,  
do, Jena 1704.

crocodilus lachrimans, Jena 1733

diff. de Jesu Christo deandropo, Jena  
1704

diff. de gloria  
Casp. Gottfr. / diff. de gloria  
herundi, Jena 1661.



m. 22  
L. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
MENSURA  
PECCATORUM  
IMPLETA,

GEN. XV, 16. MATTH. XXIII, 32.

QUAM

PRÆSIDE

PRO-RECTORE MAGNIFICO,

DN. JO. GEORG. NEUMANNO,

S.S. THEOL. D. ET P.P. ALVMN. ELECT. EPHORO,  
ET ACAD. BIBLIOTHECARIO.

DOMINO, PATRONO, PRÆCEPTORE SVO, PER OMNE  
VITÆ SPATIUM SANCTE OBSERVANDO,

PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONIT

M. JUST. CHRISTIAN. UTHENIUS,

CLINGA - SCHVVARZBURGICUS.

AD D. XXX. DECEMBR. ANNO ACADEMIÆ SECULARI.

---

VITEMBERGÆ RECUSA

LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI,

ANNO M D C C XX.

(4)




DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
MENSURA  
PECCATORUM  
IMPIETATIS  
GENNY JO. MATHEXII 33

PRO-RECTOR M. G. H. H. H.  
DI. JO. GEORG. NEUMANNI  
AS THEOL. D. P. T. A. V. M. E. I. G. T. H. B. O. R. O.  
D. N. O. S. T. R. O. S. T. A. M. P. T. I. O. N. I. S. I. M. P. I. E. T. A. T. I. S.  
M. JUST. CHRISTIAN. LITHEINIS  
CLINIA-ACHVARSBURGUS  
D. N. O. S. T. R. O. S. T. A. M. P. T. I. O. N. I. S. I. M. P. I. E. T. A. T. I. S.

AMBERG. ACADEMIA  
D. N. O. S. T. R. O. S. T. A. M. P. T. I. O. N. I. S. I. M. P. I. E. T. A. T. I. S.  
D. N. O. S. T. R. O. S. T. A. M. P. T. I. O. N. I. S. I. M. P. I. E. T. A. T. I. S.  
ANNO MDCCXII







I. N. I.

§. I.



St quædam in Scripturis loquendi ratio de mensura peccatorum impleta; non illa quidem tralatitia, aut vulgaris sententiæ, sed singularis reconditiqve argumenti; ut adeo disquisitionem ejus haud infructuosam fore arbitrer. Cum enim nonnulli, qui fatali patrocinantur decreto, in suas partes hanc phrasin abripiant; alii non dissimili instituto eo detorqueant, ut Pandoram termini peremptorii inde adornent; per jucundum mihi fuerit, inquirere in profundæ istius dictionis sensum & ex hoc abdito quavis fonte saluberrimas derivare doctrinas.

§. II.

Eqvidem complura sunt S. Scripturæ oracula, quæ faciunt in rem præsentem; extantiora tamen, & quæ reliquis faciem præferre videntur, hæc fere sunt:

Genes. XV, 16.

וְהָיָה עַן יְהוָה אֵל

Nondum impleta est iniquitas Amorrhæorum bucusque.

Matth. XXIII, 32.

Christus ad Judæos inquit:

Καὶ ὑμεῖς πληρώσατ ἐτὸ μέτρον τῶν πικρῶν ὑμῶν.

Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

A 2

Utrum



## 4 DISPUTATIO THEOLOGICA,

Utrumque hoc oraculum conjungendum erat; cum alterum ad alterius explicationem faciat.

## §. III.

Ac initio quidem generatim observo: proverbialem hanc dictionem esse, & parcemiis sacris omnino accensendam. Utut enim illam non attigerint *Del Rio, Schottus, Zebnerus* & alii, qui de *Adagiis & adagialibus sacris* aliquid literis mandarunt: tamen cum sublimioris cujusdam sententiæ sit, & usu loqvendi frequentata subinde; quæ duo potissimum adagii alicujus *πρὸς κρίσιν* sunt; non eximendam huic numero esse putem, quando quidem prægnantissimi sensus hæc formula est, Prophetarumque ac Apostolorum sermonibus fatis trita; uti ex Jocis deinceps allegandis constabit. *Implere mensuram patrum*, Bartholomæus Westhemerus inquit, *proverbialiter dicitur in Scripturis, pro absolvere impietatem, & quod videbatur deesse, adjucere impietati*, Libro, de Tropis & Schematibus Sacris p. 242.

## §. IV.

Deinde nec illud hic prætermittendum duco: quod non facile de uno homine vel individuo, sed de tota gente, vel certo quodam ordine hæc Phrasis usurpetur. De Amorrhæis res confecta est; quorum nomine totam Cananæ gentem comprehendendi *ex vers. 19. 20. 21.* patet, ubi regionis istius incolæ, qui ante Amorrhæi dicti fuerant, distinctis nominibus describuntur. Amorrhæos autem appellatos existimo terræ Cananæ inhabitatores, quod vel præ reliquis ferociores fuerint, vel insigniorem istius regionis partem possederint. *c. Gen. XLIIII, 22. 1. Reg. XXI, 20. 2. Reg. XXI, 11.* De Judæis id perinde manifestum est, & in primis ex compellatione Christi patet. Utut enim Scribas & Phariseos alloqvatur paulo ante; tamen ab his velut Judæorum primiceriis ad totam nationem convertitur, eidemque extremam desolationem & stragem denunciat: *Amen dico vobis, quod venient hæc omnia super generationem istam, Matth. XXII, 35.* Accedit ratio ab æquitate & justitia Dei desumpta, quæ svadet, universalem alicujus regionis interitum, non unius vel alterius hominis, sed  
toti-



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 5

totius populi peccatis provocari. Certe cum reipublicæ Iudai-  
cæ immineret Babylonicum illud exilium, peccata omnium sta-  
tuum allegantur, utpote *subditorum*; Jer. V, 1. 2. 3. 4. *imperanti-  
um*; ibid. v. 5. 6. *Sacerdotum*; ibid. v. 13, 14. *Patrum familias, u-  
xororum & liberorum*; ibid. v. 8. Jer. VII, 18. *universorum*; Jer. V,  
21. 22. 23. 24. 25. Unde mirum non est, communes terræ incolæ  
communes quoque pœnas luisse. *Ecce ego extirpabo eos de super  
terra eorum, ac domum Judam avellam e medio eorum, Jerem.  
XII, 14.* Ac proinde peccatis totius regionis sæpe adeo Deus ir-  
ritatur, ut ne precibus sanctorum quidem ab immitendis pœnis  
temporalibus retineri possit. *Cum integra terra peccaverit mihi,  
ut pravaricaretur pravaricans, extendam manum meam super eam,  
& conteram suppellectilem panis. & immittam in eam famem, &  
interficiam de ea hominem & jumentum, ut si essent tres viri isti in  
medio ejus: Noë, Daniel & Job, ipsi soli justitia sua liberarent ani-  
mas suas; ait Dominus exercituum. Ezech. XIV, 13, 14.*

§. V.

Præterea hic attendendum cum primis: quoties hujus men-  
suræ in Scripturis mentio fit, nunquam non decretum Dei cir-  
ca pœnas temporales indigitari. Non repetam exempla hæc no-  
stra, ex quibus id ultro dispalescit. Amorrhæos enim elapsa  
periodo, ab Israelitis expulsos & subjugatos fuisse, sacra testa-  
tur historia. Num. XXI, 21. Deut. II, 24. XX, 17. Jos. X, 10. Judæ-  
os vero deleta urbe, & templo funditus everso, extorres hodie-  
num & exules esse, res ipsa loquitur. Saltem insigne illud Jeremiæ  
testimonium nunc adducam: vaticinatus enim hic de pœnis tem-  
poralibus: *Dispergam populum quasi stipulam, qua vento rapiatur  
a deserto; illico pergat, & mensuras vocat has pœnas: Hac fors tua  
& מִדְּרָגָה מִנְּתָן portio mensurarum tuarum. Jer. XIII, 25, 26.* In-  
tegro hoc capite Deus aperit Prophetæ, quanto afflictionum ge-  
nere castigaturus sit populum, qui ne de injustitia conqueratur,  
demensas pœnæ divinæ portiones esse docet. Unde sic locum  
vertunt aliqui: *Hac erit merces tua, & pars proportionalis, id est,  
portio pœnæ, peccatis ex æquitate respondens. Similiter hanc lo-  
quendi*



## DISPUTATIO THEOLOGICA,

quendi formulam repetit Elaias, interitum & vastitatem Edomæ minatus: *Extendetur super hanc terram mensura, ac vastitatem; & perpendicularum in desolationem cap. XXXIV, 11.* Ut enim architecti in extruendo ædificio lineam extendunt, ad latitudinem; perpendicularum vero, ad altitudinem metiendam: Sic ex adverso in destruenda regione Deus lineam quoque ducit, & perpendicularum quasi applicat, ne vastitatis & desolationis modum excedat. Ita Zedekie regis Judæ exilium & ignominiosam captivitatem designaturus Ezechiel: *Tu autem, dux Israel, inquit, profane & impie, cujus dies venit* *וְפָרַעְתָּ יוֹם* i. e. ubi tempus iniquitatis finitur. *Sic dicit Dominus Deus, depone coronam & tolle coronam, quia non ultra sic eris: quod enim exaltatum fuerat, humiliabitur & humile exaltabitur: Vanam, vanam, vanam faciam tuam coronam. Ezech. XXI, 25. 26. 27.* Ne quis vero existimet, de solo Rege hoc dictum fuisse, de ipsa Israelitarum gente pergit, quod horum quoque dies venerit, *וְפָרַעְתָּ יוֹם* in tempore, quo iniquitas eorum finita fuerit. *ibid. v. 29.* Item: *in manus gladii inciderunt in tempore afflictionis, & in tempore iniquitatis extrema. Ezech. XXXV, 5.* Ita extrema iniquitas, & gravissima poena, e vestigio se invicem excipiunt. Quod si quis obvertat, in calamitate ejusmodi publica urbis vel totius regionis impios æque ac pios mortem sæpe oppetere: is frustra nobis obloquitur, Scriptura tam clare asserente: *justum æque ac injustum ore gladii aliquando abripi Ezech. XXI, 3.* Injusti enim suum tunc supplicium inveniunt, pii vero, qui publicis calamitatibus involvuntur, suum quasi martyrium subeunt & coronam æternæ vitæ reportant. Interim tamen hinc minime inferri potest, quod ante hanc mensuram peccatorum impletam, & terminum sceleribus constitutum, Deus integræ nationi gratiam conversionis subtraxerit, aut ante diem ultionis, revocatos ab interitu noluerit, cum vix ullum evidentius divinæ misericordiæ documentum extet, quam hoc, quod tantum temporis intervallum impiis ad respicientiam indulgeat, ut, signato perditionis anno ac die, ad poenitentiam eo validius invitentur.



## S. VI.

Tandem vero non peccatorum initium, sed terminum finemque & complementum hac phrasi innui, extra dubium est. Nam quod locis nostris, verbo שָׁלֵם itemque πληροῦσαι indigatur, id ipsum Scriptura consummare peccata vocat, verbo con-  
similis significationis חָמַם: *In fine regni ipsorum* (Macedonum) חָמַם הַפְּשָׁעִים בְּתַמָּם cum consummaverint (Judæi) pravaricatores (transgressiones suas) Dan. II. 23. id est, ut Syrus reddit: *quando absorberint peccata pravaricantes, tum clade publica opprimantur*; vel, ut pergit textus: *Tum consurget Rex durus facies*, (Antiochus Epiphane) *qui perdet validos, & populum sanctorum* v. 24. cui vaticinio per omnia respondit eventus, ceu videre est, 1. Maccab. 1. 12. Inprimis autem hanc phrasin in nostram sententiam interpretatur Jeremias, ubi Medorum ac Persarum finem adesse docet, excindendumque regnum fore prædicit: *Quæ habitas super aqua multis* (Babelem urbem alloquitur) *super thesauris multis: Ecce venit finis tuus* מִנְסַרָה בְּצִעָרָה mensura avaritiæ tuæ; quo manifesto docetur, mensuram foedissimi quæstus ad summum pervenisse, adeoque finem simul regni & terminum instare.

## S. VII.

Ut proinde ad rem propius accedamus, duo potissimum vocabula nobis explicanda sunt, quorum alterum mensuram, alterum mensura impletionem concernit. Est autem ex mente Geometrarum, mensura capacitatis alia, quæ vel arida vel liquida recipit, ut modius, dolium, scyphus; alia vero applicationis, ut perpendiculum, pondus, ulna; utpote ad quam applicantur res vendibiles, atque examinantur. Hæc Ebræis אֵבָן i. e. lapis, pondus, perpendiculum; illa vero אֵיפָה i. e. modius appellatur; de utroque mensuræ genere hoc verbum nostrum שָׁלֵם adhibetur, quod vel uno Scripturæ loco probare sufficiat: *pondus completum & justum erit tibi* אֵבָן שְׁלֵמָה & *Epha* (id est, modius) *completa & justa erit tibi*; אֵיפָה שְׁלֵמָה ut prolongentur dies tui super



terra. *Deut. XXV, 15.* Jam sive prius illud mensuræ genus, sive posteriore intellectum velis, nativa utrinque & congrua veritati oratio hinc fluit. Quemadmodum enim scyphus aut cantharus, infuso ad summum usque liquore, exundat, ut epistomio sive operculo sit opus, quod ori mensuræ imponatur: ita Deus impleta peccatorum mensura & velut exundante, malitiam non patitur excrescere in infinitum, sed reprimit illam, & pœnis immissis, veluti repagulis coercet, ne scelera totum terrarum orbem inundent. Profundam hanc similitudinem eleganti, sed peræque ingenioso apologo illustrat Scriptura. Nam Prophetæ ostendebatur Epha, id est, modius, cui insidebat mulier, alis ciconiæ instructa, eademque in mundum evolatura: sed talentum plumbi medio impositum fuit, ostiumque mensuræ occultum. Ubi Angelus rogatus interpret, mulieris nomine *impietatem*, per molem vero plumbeam, *pœne gravitatem*, significari docet. *Zach. V, 6. sequ.* Quod si vero a mensuræ applicationis, hunc tropum evolvere cupias, tertium comparationis in hoc consistit; quemadmodum merces venum expositæ tum demum emtorem inveniunt, ubi ad ulnam revocata, vel ad perpendicularum ponderata fuerint: ita hominum peccata tum demum Deum habent ultorem, ubi ad perpendicularum & amissim justitiæ fuerint examinata, ipsamque *μειροδουλίαν* divinam mole & gravitate sua transcendant. Nec infreqvens hæc similitudo est in Scripturis: *Sic dixit Iehovah: ecce, ego adducam malum super Hierosolyman & Judam, extendamque super Hierosolyman lineam Samariæ, & perpendicularum domus Achabi. 2. Reg. XXI, 13.* id est, pari lance pœnam Hierosolyman admetiar, quæ Samariam affixi. Perinde quoque Amos in manu Iehovæ perpendicularum conspiciebat, addita hac comminatione: *En ego ducam perpendicularum per medium populi mei Israelis, nec parcam populo meo. Vastabuntur excelsa Isaaci & sanctuaria Israelis desolabuntur, surgamque contra domum Ierobeami cum gladio. Amos VII, 8. 9.* Sed quid obstat, quo minus utrumque sensum hic jungamus, ita sibi invicem subordinatum, ut sententiam gignat multo *ἐμφατικωτέραν*. Nam  
Deus



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 9

Deus & numerat peccata, velut amphoras & scyphos numeramus in dolio implendo; & *æqua lance ponderat*, ceu merces adulterinas per stateram exploramus. Utroque modo interitum Regis & regni Chaldaici prodigiosa manus describit: *Mene, Mene, Tekel*, id est, *numeratus, numeratus & appensus es in statera, inventusque es inutilis. Dan. V, 25. 26.* Sensus est: divinam justitiam, ut de Belsazaris tum moribus tum regimine rectius posset constare; Regem velut in bilanciis examinandum collocasse, eundemque, non secus ac adulterinos nummos, modo numerasse, modo pensitasse, tandemque leviolem deprehendisse, quam ut justî Regis laudem & pondus assequeretur. *conf. Ps. LXII, 10.*

§. IIX.

Alterum est, de *implatione peccati*, quod explicandum nobis restat. Occurrit enim in loco priori vox  $\text{לִמְשֻׁלָּם}$ , quam LXX. modo per *ἀναπληρώσασθαι*, modo per *συντελέσασθαι* efferunt. Usurpatur de diebus *lucius impletis*; *Esa. LX, 20. de templo Salomonis in solidum exstructo & absoluto*; *1. Reg. IX, 25. in primis autem de pondere & mensura completa Proverb. XI, 1. Deuter. XXV, 15.* certo indicio, res mensurabiles hoc verbo omnium optime describi. Existimo autem ellipsin hic locum invenire, Ebraicis perquam familiarem, ut subintelligatur mensura: *Nondum mensura iniquitatis impleta est.* Observes enim in verbis copians significantibus Ebræos per elegantiam omittere nomen Substantivum; ut: cum Abraham dicitur *expirasse senex & satur*, subaudiuntur: *dies*, quod satur sit *dierum. Gen. XXV, 8.* Item, cum *aquis pleni confluere perhibentur, fontes vel calices pleni designantur. Psalm. LXXIII, 10.* Idem hoc nostrum exemplum comprobatur, ubi vox  $\text{לִמְשֻׁלָּם}$  impleta, ad *mensuram peccatorum* respicit, quibus nondum fuerit cumulata. Perinde & in posteriori loco, verbum *iniquitatis* omissum est, quandoquidem proverbialis dictionis propria quasi virtus est, Atticam & nervosam brevitate sectari; ut aliquid cogitandum relinquatur lectori.

§. IX.

Itaque phrasîs illa: *mensuram peccatorum implere, vel ex par-*



*te hominum, vel ex parte Dei accipienda est. Priori modo, accumulationem criminum ad summum usque gradum denotat; posteriori vero, cumulum penarum divinarum supremum arguit. Inter utrumque jucunda quædam proportio justitiæ divinæ, & malitiæ humanæ deprehenditur. Nam cum homines sibi ipsi thesaurizant iram Dei; Rom. 11, 5. ipse Deus quoque thesaurizat sibi vindictam & retributionem, quam obsignatam habet in thesauris suis; Deut. XXXII, 34. 35. donec impleta peccatorum mensura, aperit thesaurum suum, depromitque instrumenta ira sua. Jer. L, 25. Homines addunt peccatum super peccatum; id est: cumulant; Esa. XXX, 1. Pari ratione Deus, accenso in homines furore, congregare super eos omnia mala dicitur. Deut. XXXII, 22. Homines denique faciunt consummationem peccatorum; עשו כלה Gen. XLIX, 21. Nec minus Deus, ubi hæc evenerit, consummationem כלה & decisionem facit in tota terra. Esa. XXII, 22. Adeo justa est penarum divinarum mensura!*

## §. X.

Jam, quod prius Oraculum attinet de Amorrhæis, sensus ejus ex hæcenus dictis facile parebit. Nam Abrahamo facta promissio fuerat, de terra Cananæa possidenda; c. XII, 1. ad quam spem iteratis vicibus erigebatur deinceps, c. XII, 7. c. XIII, 15. in primis autem hoc capite eadem promissio ipsum confirmabat his verbis: *Ego sum Jehovab, qui te ex Ure Chaldaeorum eduxi, ut tibi hanc terram possidendam darem. v. 7.* Itaque fortius urgere cœpit fidem promissi, & quærere: quando futurum esset, ut ipse cum posteris hos agros divideret, & quo indicio de tempore edoceri posset: *Unde, ait, Domine Jehovab, cognoscam, me hanc terram possessurum? vers. 8.* Tum Deus ipsum duplici ratione informat: *partim religioso Symbolo; partim vero perspicuo verbo, & utroque modo indicat, non nisi post quatuor ætates, i. e. 400. annos ad eventurum. In initio igitur victimam de quatuor animalium generibus: de vacca, de capra, de ariete, & de aliis affertur jubet; atque hoc ipso quatuor elapsis sæculis, hæreditatem hanc insecuturam innuit. vers. 9.* Paruit Abrahamus, mactatasque pecudes dis.



dissecuit medias, & ita in loco, ubi sacra fiebant, disposuit, ut inter dissecta cadavera, pro solenni fœderum ritu transiri posset; *v. 10. conf. Jer. XXXIV, 18.* Verum cum hoc signo non satis contentus, divinæ voluntatis significationem expectaret ulteriorem; denuo compellatur a Deo, & de futuro eventu disertis verbis eruditur: *Sciendo scias, id est, certo, quod peregrinum eris semen tuum in terra aliena (id est, Ægypto,) ubi per quadringentos annos incolæ subjugabunt, & duriter affligent eos; sed his elapsis, ab ea gente, cui servierunt, pœnas exercita in eos crudelitatis repetam, & Abrahami posteros, mirum in modum locupletatos, in Canaanam revocabo v. 13.* Sed quid inde utilitatis redundaturum erat ad Abrahamum, hominem jam confectæ ætatis, & tot hæcenus exiliis aliisque calamitatibus enervatum, ut vita ejus quartam generationem non attingeret? Regerit Deus: *Tu vades ad patres tuos in pace, & sepelietis in tranquilla senectute versis.* hoc est: Dabo tibi in hac vita, quæ homini necessaria sunt, animum quoque vera *σωτηρία* imbuam; plura autem de rebus terrenis & caducis tibi non conducunt; at longe restant præstantiora, eademque cœlestis, quorum ad te pertinet hæreditas: *Ego enim tibi clypeus, & longe maxima tua merces ero, ib.* Ne proinde timeas, nec de promissione mea diffidas. Denuo autem sciscitanti Patriarchæ: quare mihi terra Canaanæ, aut posteris meis, statim ac in gentem creverunt, non traditur, sed tantopere differtur hæc possessio? respondet Deus: *Non prius quam generatione quarta, id est, centenatio quarto demum exunte, posteri tui revertentur in hanc terram;* tum subdit rationem perquam profundam: *quia nondum impleta est iniquitas Amorrhæorum hucusque.* Quasi diceret sanctissimum Numen: Cognosce mysterium justitiæ & misericordiæ meæ, quod per hunc ritum sacrificialem tibi revelo. Posteris tui per 400. annos servituti Ægyptiacæ subjicientur, ut propter duritiam cordis, & detrectatum toties obsequium castigentur; interea vero Amorrhæis per ipsos totidem annos 400. spatium poenitentiae indulgebo. Quod si hæc procrastinatio te male habeat, quæ Abrahamidæ ab occupatione hujus terræ arcentur, scire te oportet, citra gravissimam culpam, nullam omnino gentem exterminari. Iniquitate Amor-



rhæorum exacte mihi numeratæ sunt, & æqua lance ponderatæ. Exceverunt quidem illæ in magnitudinem arenæ maris; attamen nondum pervenerunt ad summum. Sunt illi ex Noachi posteris, nec excidunt benedictione Dei, Noacho quondam impertita: *ut crescerent diffunderentque se in terra, & per generationes suas sese multiplicarent. Gen. IX, 1.* Idem gaudent fœderali gratia, quam signo iridis, in nubibus posito, confirmavi. Accedit, quod in Amorrhæorum confinio adhuc floreat familia Melchisedeciana, veræ religionis propagatrix. Superfunt fœderati illi viri, qui in cruento nuper certamine suppetias tibi ferebant, imo longo plures eorum, qui verum Dei cultum profitentur. At unius vel alterius justis innocentia me commovet, ut integræ huic parcam regioni. Tandem & ex ipsis injustis, non paucos prævideo ad meliorem frugem redituros, si ad quartum usque centenarium ipsis tempus penitentia concessero; nondum ad me clamant horum peccata; nondum extremam cladem exposcunt; paucis; nondum consummata est Amorrhæorum iniquitas.

## §. XI.

Itaque disquirendum nunc est, cum de causa dilata hujus pœnæ; tum vero de causa & indicio accelerata tandem vindictæ, *Tota mora, Rivetus inquit, ad sapientia divina decretum referri debet, qui ita vult exercere justitiam, ut etiam ostendat patientiam suam in tolerandis & expellendis peccatoribus.* Item: *si peccati meritum spectemus, Deus posset ex justitia celerius animadvertere; sed cum id a decreto Dei pendeat, id etiam inter ea, quæ hominibus sunt occulta, ponendum est; ut quemadmodum finalis illius vindictæ diem nemo novit, sic & particularium judiciorum, adversus aliquam nationem, diem & tempus nemo scire possit, nisi id Deus revelet.* Exerc. LXXXV. in Genes. f. 328. Sed hypothesein de absoluto decreto hæc redolet assertio; ac si Deus pro arbitrio suo, citra intuitum peccatorum, hunc severius, illum mitius, hunc citius, illum vero tardius puniat. Occulta Dei judicia esse, nemo negat, sed & justa eadem esse, ne *περὸς ὡπολήπτους* audiatur, contendendum est. Neque vero hæc causam dissimulat Scriptura; sed indicat diserte: *Non pro*



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 13

propter justitiam tuam, Deus inquit ad Israellem, & propter rectitudinem cordis tui, venies ad possidendum terram eorum, sed propter malitiam gentium harum Jebonab Deus expellet eas coram te. Deut. IX, 5. Rectius igitur dilationis causas allegamus: 1.) *maneo-  
Dopus Dei*, ipsius Christi intercessione subnixam. conf. Luc. XIII, 8. seq. 2.) *religiosorum quorundam*, qui supererant, veram fidem; ut: Melchisedeci, sacerdotis Dei altissimi, & confœderatorum Abrahami; Genes. XIV, 18. 24. quorum preces placabant Deum, ne illico animadverteret in universos. Id quod excidium Sodomæ orum comprobatur, quos Deus propter decem justos, se non perditurum promiserat. Gen. XIX, 32; 3.) denique *spem conversionis* de illis conceptam, quorum malitia in oculis hominum jam explorata videbatur, & æternis suppliciis digna. Nam *patientiam Dei non secus ac in salutem hominum interpretari debemus.* 2. Petr. III, 15.

§. XII.

Ceterum, quæ præcipue delicta sint, quibus extremam ultionem in se derivarint Amorrhæi, non eodem omnes modo definiunt autores. Tria potissima allegat *Cornelius a Lapide*, ut: 1.) *Idololatriam*, 2.) *oppressionem innocentium*, & 3.) *sedam libidinem*; quæ proinde cujusvis regionis exterminium & deletionem maturare, tradit *Comment. in hunc locum*. *Rivetus* non tam peccata enumerat, quam peccatorum effectus, quibus invalescentibus, mensura peccatorum impleatur, & eversio alicujus regionis parata sit. Et hujusmodi quidem effectus sunt: 1.) *peccantium multitudo*; sic ut maxima hominum pars sceleribus indulgeat, & paucissimi supersint, aut ferme nulli, qui non implerentur sceleratis actionibus. 2.) *publica de peccatis exultatio*; quæ de peccatis, seu de virtutibus, mali glorientur. 3.) *rejection omnium mediæ*; sic ut spes omnis emendationis prærepta videatur. Tandem 4.) *perversitas peccantium*, in ipsius humana societatis exitium redundans; sic ut non solum ipsis peccantibus noceant, sed & humanae societati exitialia sint peccata. Horum proinde complementum, ipsius quoque pœnæ divinæ complementum accelerare;



*Exercit. in Genes. f. 328. 329.* Bene satis hæc asseruntur in thesi; sed non ostenduntur in hypothesi, de Amorrhæis; non enim horum delicta silentio præterit textus sacer. Ac primo quidem *peccatum participationis* commemorat, propter quod ista gens felicitate temporali exciderit. Cum enim execrationi Noachicæ subiceretur Canaan; & vero Emori, unde Amorrhæorum natio ortum trahit, filius Canaanis fuerit; a tertia & quarta generatione poena istius servitutis repeti debuit, quam grandævus ille pater filio & nepotibus suis imprecabatur. vid. *Genes. IX, 25. X, 16.* Neque tamen hic reatus sufficiebat, ad exterminandam hanc gentem, ut opinari poterat Abrahamus: sed tum demum id futurum significatur, cum filii imitentur parentum iniquitates, eorumque sceleratis vestigiis insistant, uti est apud *Ezechielem cap. XIII, 14.* Itaque cum non abhorruerint a cognita & perspecta Canaanis, & reliquorum patrum suorum turpitudine; sed accumulaverint ipsorum flagitia, ex propria libidine & voluntate; tum demum poenæ hujus gravitatem persentiscere debuerunt. *Accedebat enim II.) fæda commixtio* cum sororibus, filiabus, aliisque consanguineis; propter quas abominaciones pollucam fuisse terram, & evomuisse hanc gentem, Scriptura testatur. *Levis. XIX, 27. 28.* III.) *Idololatria*; siquidem & propter hanc accessit fuit ira Jehova contra gentem istam, & adduxit super eam omnem maledictionem, abiecitque incolas de terra, incolas de terra, in excandescencia & in fervore magno. *Deut. VI, 15. IIX, 19. XXIX, 25. 26. 27. XXX, 17.* IV.) *illicita Magiæ studium*; quod tantopere detestatur Deus, ut etiam propter hanc abominationem Amorrhæos expulerit, eodemque exemplo Israelitas, ne eodem crimine se contaminent, graviter cohortetur. *Deut. XIII, 11. 12. 13. 14.* V.) *avθρωποδοξία, seu immolatio filiorum Molebica*; quæ filios & filias suas igne combusserunt, & sic immolarunt diis suis; quod scelus multo atrocissimum fuit, iterumque Deum commovit, ut, profligatis his incolis, terram populo suo inhabitandam dederit. *Lev. XX, 2. Deut. XII, 30. 31.* VI.) *oppressio pauperum*, quod ejusmodi facinus erat, ut propter hoc, etiam Deus *vastando vastavit*



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 25

stavit terram; & portionem populi suffulerit. Mich. II, 2. 3. seq. Amos IX, 4. 5. seqv. Plura omnino erant, quæ nunc prætermittimus, & illa quidem tantæ atrocitatis crimina, ut in proverbium abierit Cananæorum nomen, (sub quo & Amorrhæi comprehenduntur,) adeoque Cananæum appellare, perinde fuerit, ac hominem sceleratissimum, & quoddam nequitia exemplum designare. Ezech. XVI, 3. Zach. XIV, 21. Tam enormis peccatorum cumulus est, quo ultio divina provocatur.

§. XIII.

Sequitur, ut ad alterum properemus locum, quem, credo, ex priori suam sibi fœnerari lucem. Nam, ut ex contextu liquet, antesignani Judæorum, Pharisæi, sese distinguebant a Patribus suis, de propria innocentia his verbis testati: *Si fuissetis in diebus patrum nostrorum; non fuissetis socii eorum, in sanguine Prophetarum.* vers. 30. Ad quod respondet Servator: *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quod filii sitis eorum, qui Prophetas occiderunt.* v. 31. id est: Fatemini rotunde, vos esse filios patrum homicidarum, & sævitiam illorum, ceu juste vindicatam, detestamini; jam cum vestigia eorum prematis ipsi, & ad trucidandum me & discipulos meos, nefarie conspiretis; ipsimet vobis supplicium, homicidii dignum, decernitis, & contra vos ipsos judicalem fertis sententiam. *Ita nunc, & complete mensuram patrum vestrorum.* Verbum *ἡμετέρας*, *implete*, imperativi quidem modi est; sed minime hic vel imperantis, vel approbantis sensum habet; quomodo enim præciperet id, quod tantopere reprehendit Servator? quin potius prædicentis; ut de supplicio propius imminente admonerentur: quemadmodum solent Ebræi imperativum sæpe ponere pro futuro; ut: *hoc facite, & vivite*; i. e. vivetis. Gen. XLII, 18. conf. Gen. XX, 7. XLV, 18. Esa. VI, 4. præcipue autem permittentis vox illa est; sic enim id prædicat Christus Servator, ut certa quoque ratione permittat, cujusmodi illud est Jo. II, 14. *λύσατε τὸν ναὸν τῆστων; destruite templum hoc.* Similia videre licet: Judic. X, 14. 1. Reg. XXII, 15. Jer. II, 28. Ezech. XX, 39. Amos. IV, 4. Jo. XIII, 27. Apoc. XXII, 11. Est enim hic Patrum indignantium

mos



mos, ut filios in propriam perniciem ruentes, ejusmodi verbis compellent: Age, & propera ad exitium tuum, cum impios conatus tuos reprimere non liceat. Quibus ita explicatis, quæritur de mensura Patrum, quid denotet? Sensus erit: B. Gerhardus inquit; Patres vestri interficiendo Prophetas, magnam peccatorum multitudinem in mensuram injecerunt, sed vos eam penitus implebitis; quando omnium Prophetarum Dominum & caput in crucem agitis, ejusdemque Apostolos persequemini, tunc vero mensura os valento plumbeo occludetur, id est, tunc gravissima extremi excidii pena vos opprimet. in Harmon. Evangel. cap. CLVIII. p. 55. ut ad hoc collinet B. Viri sententia: Nondum meruisse patres sceleribus suis ultimum hujus gentis excidium, sed additis filiorum flagitiis demum insecuturum. At enimvero, cum patres Judæorum interfectores ipsimet fuerint, & ob hoc facinus, eversionem urbis, & quævis suppliciorum genera sint percipssi, cum primis tempore captivitatis Babylonicæ; rectius cum *Luthero, Hunnio, Calovio* interpretandam duxerim hanc phrasin, de propriis Judæorum flagitiis; sic tamen, ut peccatum participationis non penitus excludatur, quippe, quo non ipsum quidem supplicium; sed auctarium supplicii meruerunt; quandoquidem tragico Patrum exemplo admoniti, ne sic quidem respiscere voluerunt. Sensus huc redit: Quia ad cumulum magnitudinem avitorum scelerum assurgitis improbi, idem quoque vobis exitium imminet, & quia vos participes redditis flagitiorum, a majoribus vestris commissorum, dubium non est, quin ex justo Dei judicio, easdem pœnas sensuri, eandemque cladem, aut nisi mature respiscatis, multo graviolem subituri sitis. Nam id solenne est Scripturis, ut in redarguendis Judæis, Patrum allegent peccata, eorundemque, vel etiam graviorum ipsos convincant. Quo pacto vox Dei Judæos V.T. sic alloquebatur: *indurastis cervicem vestram, sicut cervix fuit Patrum vestrorum, qui non crediderunt in Jehovam Deum suum. 2. Reg. XVII, 14.* Eadem Jeremiæ de iisdem querela est: *Reversi sunt ad iniquitates Patrum suorum priorum, qui venierunt audire verba mea, ideo dixit Jehovab, ego quoque super eos*  
addo



adducam malum. Jer. XI, 10. seq. Itaque in posteris prolem subinde vitiosorem deprehendunt Prophetæ: *malum fecistis præ patribus vestris. Jer. VII, 26. Vos vero pejora fecistis faciendo præ patribus vestris; ideo eiciam vos e terra ista. c. XVI, 12.*

## §. XIV.

Nunquid vero sub statu N. T. exsistere meliores? imo non alii, aut etiam multo deteriores. *Patres vestri Prophetas occiderunt: Christus inquit, vos autem edificatis eorum sepulcra. Luc. XI, 48.* Et Stephanus protomartyr: *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus: Vos semper Spiritui S. resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos. Act. VII, 51.* Quæ vero fuerint scelera Judæorum, quibus & seipsos contaminarunt, & gentis suæ homines supergressi sunt, uno quasi fasce complectitur Apostolus 1. *Thef. II, vers. 15. 16.* Nam α) hostes extiterunt veritatis Evangelicæ, & sic voluntati divinæ impie rebellant, *vers. 14.* β) propriostrucidarunt Prophetas. *vers. 15.* γ) Dominum occiderunt Jesum, *ibid.* quo crimine vix aliud majus cogitari potest. δ) ejusdem discipulos modo flagellarunt in synagogis suis, & de civitate in civitatem expulerunt, modo cruci affixerunt. *ibid. Conf. Matib. XXIII, 34.* ε) velut hostes humani generis, cunctis hominibus obstiterunt, *ibid. vers. 15.* ζ) salutem gentium invidentes, præconium Evangelii, per quod servari debebant, modis omnibus oppugnarunt *ibid. vers. 16.* Quibus explicatis addit Apostolus, fieri illud, *sic το άναπληρωσαι άυτάς τας άμαρτίας πάντων, id est: ut continuo explerent peccata sua, absolverentque cumulum facinorum suorum, & quendam quasi colophonem adderent improbitati suæ, eoque iram Dei in se provocarent, ibid. vers. 16.* Sic autem eventurum Judæis, sub statu N. T. clare prædixit Spiritus S. & tales delineavit, quales Servator invenit: *Quantum vero ad residuos in vobis: (tempore Novi Testamenti,) iniquitatem mollitiem in cor eorum: ut persequatur eos sonus folii impulsæ, fugiantque fugam gladii. Contrabescunt enim inter vos in iniquitate sua, etiam in iniquitatibus patrum contrabescunt, & consuebuntur iniquitatem suam, & iniquitatem patrum suorum, ob pravari-*



nem eorum, quæ pravaricati sunt contra me. Non tamen reprobabo eos; nec fastidiam eos, ad consumendum illos, ad irritum redendum sedus meum cum illis, quia ego Jehovah Deus eorum. Levit. XXXVI, 36. sequo.

## §. XV.

Ex his omnibus relinquitur, per hanc phrasin, ubicunqve occurrat, nihil aliud, quam *coacervationem peccatorum*, & quæ immediate hinc sequitur, *coacervationem penarum, cum temporalium, tum, nisi poenitentia interveniat, aeternarum indigitari*. Subnectamus definitionem istius *ὀπασμῆς*, ut quæ susius explicata sunt, Dialectice & summatim comprehendantur, & vel hinc argumento difficili aliquid lucis accedat. Est itaque *mensura peccatorum impleta*, præeunte Scriptura, *enormis delictorum cumulus, intra signatum  $\mu\alpha\kappa\rho\delta\upsilon\mu\lambda\alpha\varsigma$  divina spatium, ab integra natione coacervatus, quo Deus ad excandescentiam iræ commotus, justum cum injusto, penis temporalibus, & qui sic castigatus respicere nolit, etiam aeternis subjicit, ut homines securi istiusmodi vindictæ exemplo, ad poenitentiam acrius excitentur, justitiæque & misericordia divina gloria undiquaque demonstraretur*. Equidem per leges Dialecticas constat: in quo categoria seu rerum classe definitum est, ex eadem quoque desumendum esse genus seu conceptum communem; sed vero, quia *mensura impleta* & vultoram supergressa, excessus quidam est, nec adeo categoricas & classes specierum ac generum ingreditur, per *enormem peccatorum cumulum* illa concipienda fuit, nec aliter Scriptura nos informat: Nam ut terminis rotundis rem edisseram; *mensura peccatorum normans*, justitia divina est; *mensurati* autem rationem habent peccata. Etsi vero quodvis peccatum normam Dei excedat, & vindictam divinam mereatur, tamen  *$\mu\alpha\kappa\rho\delta\upsilon\mu\lambda\alpha\varsigma$  divina*, Messæ intercellione suffulta, retrahit illam, & in aliquod temporis spatium prorogat, ut adeo contemptus demum  *$\mu\alpha\kappa\rho\delta\upsilon\mu\lambda\alpha\varsigma$* , penas temporales exposcat, & hæ vicissim sprete aeternam denique supplicium accelerent.

## §. XVI.



## § XVI.

Ac proinde *character proprius* in hac descriptione petitur *α)* a temporis circumstantia, id est; certo *μετροδομίας* spatio, ad poenitentiam ageandam indulto. Atque hoc tempus poenitentiae vel *occultum* hominibus est, nec nisi a posteriori & quidem ex prorogatione vitae intelligitur; cujusmodi istud erat, de quo Filius Dei loquitur: *Dedi illi tempus, ut respiceret a scortatione sua; nec respuit, Apoc. 11, 21. vel signa:um & certa annorum periodo descriptum;* adeo, ut modo quatuor, modo quadringentos annos, modo minus, modo amplius, poenitendi spatium integre nationi concedat, & de hoc potissimum loquimur. Porro *β)* *character distinctivus* ab *Objecto* desumitur, quod est integra provincia seu natio. Tametsi enim non desint exempla, ubi vel uni individuo, vel etiam familiae, spatium poenitentiae, cum poenae comminatione, indictum fuerit; ut de Ioramo rege Judae, nec non de Chanania Pseudo-Propheta constat; quorum alteri mors intra biennium, alteri vero intra unius anni spatium significata fuit. 2. *Chron. XXI, 15. 19. Jerem. XXIX, 16.* itemque de familia Eli, cujus filii eo ipso die occubuerunt, qui antea designatus fuerat; 1. *Sam. 11, 34.* tamen hanc phrasin proverbialem non facile de individuo, sed de integra natione reperiri contendimus. Nam totius alicujus provinciae excidium, non unius cujusdam hominis, sed integre nationis peccata merentur; id quod supra nobis demonstratum est §. IV.

## § XVII.

Præterea *γ)* hoc argumentum ab effectu seu immediato consequenti describitur: atque hoc *excandescencia ira divina* est, & quæ hinc fluit, *coacervatio poenarum divinarum*. Equidem ira Dei quovis peccato concitatur, sed hinc vel maxime apparet *μετροδομία* Dei; quod non subito excandescit illa, & in vindictam allurgit. Nam *in ipsamet ira, Deus misericordiae suae meminit. Habac. III, 2. Cor Judaeorum, cum non esset rectum cum Deo, Psalteris canit; nec fideles essent in fœdere ipsius; ipse tamen misericors & propitius erat, durantibus peccatis eorum nec perdis-*



dit illos, sed sapius retraxit iram suam, (sic habes Deum propitium, etiam cum irascitur peccatis,) nec concitavit omnem excandescentiam suam. Sed cum excandescencia illico conjuncta est poena temporalis: Nam provocarunt eum ad iram per excessa sua; & per sculpilia sua ad indignationem: quod audiret Deus, tum demum excanduit, & tum rejecit Israelem valde: deseruit habitaculum Schilunris: tentorium ubi habitavit inter homines; dedit in captivitatem robur ejus; & decus ejus in manum hostis; conclusitque in gladio populum suum, & in hereditatem suam exarst. Unde juvenes ejus comedit ignis, & virgines ejus non nuptae sunt; sacerdotes ejus gladio ceciderunt, & viduae eorum non sunt deploratae. Psal. LXXIIX, 37. 38. 58. seq. Sic excandescencia irae, poenae temporales e vestigio insequuntur. Atque haec poenae temporales ultimum quasi monitorium sunt, & illud tempus visitationis, quo Deus, velut in conspectu totius mundi, gentem aliquam ad poenitentiam urget, & incitat: quod ubi neglexerint impii, adeo exaestuat ira Dei, ut remedio non pateat locus. Cum essent subsannantes Judaei nuntios Dei, & spernentes verba eorum, & illudentes Prophetis ejus, ascendit excandescencia Jehovah contra populum suum, usque dum non fuit remedium. 2. Chron. XXXVI, 16. Quod si vero indignum justitia divina videatur, justum cum injusto puniri, quod in descriptione adjecimus; concedendum utique est, id justitiae divinae, si de interitu aeterno sit sermo, repugnare: hoc enim sensu recte quae rebat Abrahamus: Nunguid perdes justum cum impio? Genes. XII, 23. At vero, si de interitu temporali loquamur, ea est vindictae divinae ratio, ut justos aequae ac injustos, quorum cum hisce peccatoribus fuerat commercium, judiciis temporalibus subjiciat. Ita utrumque locum conciliat B. Calovius: Abrahami questio non pugnat cum Ezech. XXI, 9. occidam in te justum & impium; quia Abraham de interitu temporali & aeterno simul loquitur: Deus vero apud Ezechielem de perditione corporali: siquidem judicium temporalibus non raro involvi justis cum impiis soleant, quamvis ea impiis supplicia sint, justis vero tantum castigationes; Comment. in Genesim. p. 915. Unde



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 21

de *δ* de *fine atque scopo* hujus tam tremendi iudicii facile judicari potest. Nam si ad *hominem* respicias, conversionem ac poenitentiam intendit Deus, ultimo quasi remedio tentato, quo revocare illum a securitate, & æterno interitu possit. Sin vero de *Deo* ipso cogites, vix poterat gloria misericordiae divinæ illustrari magis, quam, quod spatium 400. annorum nationi vel genti ad poenitentiam indulgeat: nec magis iustitia, quam, quod tantum iniquitatis humanæ cumulum dignis suppliciis vindicet.

§. XVIII.

His ita expositis, restat, ut ex utroque loco salutare quasdam doctrinas in usum nostrum derivemus. Ac initio quidem obferves: quoddam quasi rationarium seu librum rationum Deo tribui, quo & consignet peccata hominum & numeret, & ad perpendiculum iustitiæ suæ examinet. Ut enim Augustus quoddam imperii rationarium habuit, quo accuratissime possessiones & fundi descripti fuerant, ipsique coloni consignati, inter quos erant divisi: *Sper. in Aug. c. 28.* ita humano more nobiscum loquitur Scriptura, & Deo quoque codicillos rationum tribuit, quibus actiones nostras consignet, & ante oculos sibi ponat, ac sub doctis rationibus earum tandem summam conficiat. Nam in Amorrhæorum gente, non modo annos numerabat Deus, quos ex *μακροθυμίας* sua iisdem indulserat, sed & iniquitates, quas nondum supremum attingere fastigium intelligebat. Ex adverso, de Judæorum peccatis observat, quod a supremo gradu & enormi illo cumulo haud procul absint. Sane librum sibi Deus ipse vendicat, cui dies æque ac opera hominum inscribantur, *Pf. CXXXIX, 16. Apoc. XX, 12.* Unde peccatum Judæ scriptum dicitur stylo ferri, imo scalpulo adamantis. *Jer. XVIII, 1.* Quod si compleant rationarium peccatores, quod *συντελεῖν λόγον* vocat Paulus, *Rom. IX, 28.* Deus numerare delicta illa & computare solet, *Dan. V, 26.* tandemque *συνῆσαι λόγον*, i. e. conferre rationem cum servis suis & debitum urgere. *Matth. XII, 23. seq.* Itaque datur rationarium, B. Varenius inquit, tum peccatoris, tum Dei: illud criminale & peccato-



rum; hoc penale, & suppliciorum: ille committendo peccatum unum prope alterum coacervat sibi thesaurum culparum, usque dum penitus implevit mensuram peccatorum, & tunc dicitur peccator facere vel fecisse כלה & esse עון שלם Genes. XV, 19. XLIX, 21. atque adeo peccator tunc est συντελεσθῆν λόγον, seu talis, qui jam peccatorum, ita ut sic in consummato gradu scelerum, pœna proximus: Antequam ita consummatus peccator est, Deus quidem peccata numerat, minoribus penis vindicat, de cetero in thesauris suis, habito accurato scelerum rationario, & suspensio ad usque consummatum rationarium, sive usque dum עון שלם finali & consummato supplicio obsignat. in Opusculo Paulino Rom. p. 462.

## §. XIX.

Neque tamen II. ex eo, quia prescit & in numerato habet Deus futura hominum peccata, fatalis quedam peccandi necessitas inferenda est. Tametsi enim post quartam generationem posteris Abrahami terram Amorrhæorum promiserit; exinde tamen nondum evincitur necessitas, quia summare incola peccata sua debuissent, & divinas sibi pœnas accersere. Ratio est, quia Deus circa implendam iniquitatis mensuram, saltim permittendo & prædicendo versatur, minime vero determinando actiones hominum, ut peccatorum mensuram implerent. Prolixe hic disputat Riverus, & ex promissione Abrahamo facta, evincere conatur necessitatem peccandi; cum alioquin, nisi peccassent Amorrhæi, & pœnam exilii sibi attraxissent, promissioni divinæ non respondisset eventus: Promisit Deus Abrahami posteritati, inquit, hereditatem terræ illius, pulsas veteribus colonis; nec eos voluit pellere, priusquam completa esset iniquitas; Ergo ut potirentur Ebræi hereditate illa, præcedere debuit iniquitas incolarum. Promissio divina de hereditate infallibilis fuit, non enim potuit Deus vel fallere vel falli. Hinc evincitur, infallibile etiam fuisse, peccata Amorrhæorum ad eam mensuram perventura, sive qua completa Deus illos non exterminasset. Introductionis Israelitarum in terram illam fuit autor & ordinator, eamque providit & præordinavit. Idem dicendum de punitioe & vindicta adversus Cananeos: peccat



peccatorum alia ratio est, quæ prævidit, non providit, est de iis prævidetis. Dehinc ad prævisionem Dei se recipit; & ex hac evincere conatur inevitabilem futurorum necessitatem: *Non poterat, inquit, non accidere, quod præviderat Deus futurum. &c. Exerc. LXXXVI. in Gen. pag. 331.* Verum hic non ita subtiliter philosophatur, subtilis alioquin & eruditus autor. Nam quas hic cumulat hypothèses, omnes illæ ad absolutum decretum, velut ad centrum suum, recidunt. *Initio, falsum est, præcedere debuisse iniquitatem incolarum, ut tandem Ebræorum invasione castigarentur:* quasi vero alia ratione non potuisset populus DEI in hereditatem hanc introduci, nisi cumulatim ante, ex ordinatione Dei, peccatis. Quidni potuissent Patriarcharum concionibus aures præbere, & Ebræos in societatem cum religionis, tum quoque regionis admittere? nam hoc pacto veritas promissionis divinæ peræque sibi constitisset. *Ido. Error vetus est, & dudum profligatus: præscientiam Dei rebus futuris imponere necessitatem. Non poterat, inquit, non accidere, quod præviderat Deus futurum:* Atqui Deus etiam prævidit contingentia: Ergo & hæc non poterunt non accidere, & consequenter, quæ contingentia sunt, eadem erunt necessaria; quod implicat. Rursum: prævisio Dei etiam occupatur circa peccata; Ergo & illa non possunt non perpetrari. Ergo nulla vis legum, nullæ adhortationes ac dehortationes DEI locum amplius habent. Imo suas ipse actiones ab æterno prævidit Deus; Ergo & illæ fatali necessitati subjiciuntur, nec possunt non evenire. Sic omnis Dei libertas in agendo concidet, & Stoicum illud fatum in Ecclesiam introducetur. Instat Reformatus: *Non poterat sub incerta conditione, & quæ pro ratione voluntatis humana, positis omnibus aliunde præcognitis, poterat esse & non esse; promitti certa hereditas, & Abrahami fidei objici tanquam veritas indubitabilis, nisi Abraham certo credidisset, fore, ut Amorrhæi eo tandem improbitatis devenirent, ob quam judicium illud suum in eos exerceret Deus.* Summatim hoc vult: implendam fuisse Dei promissionem, ideoque & culpam Amorrhæorum evitari non potuisse. Respondeo: etiam



etiam implenda erat veritas Dei de prodicione Judæ; *Act. 1. 16. Viri fratres, oportuit impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus Sanctus, per os Davidis, de Juda, qui fuit Dux iis, qui comprehenderunt Jesum. Equis vero hinc colligat, Judam necessario prodidisse Dominum, nec evitare hoc peccatum potuisse, cujus malum animum toties corrigere sustinuit Servator. Matth. XXVI, 24. Oportuit etiam impleri Scripturam de morte & passione Christi; nam consummabantur omnia, ut impleretur Scriptura; Job. XLIX, 28. nemo tamen affirmaverit, interfectores Christi, arcano quodam decreto Dei, ad hanc peccandi necessitatem fuisse compulsos. Ratio est, quia prædictiones illæ semper conditionem impœnitentiæ, in se & causis suis evitabilem, involvunt, adeoque *hypothetice* intelligendæ sunt, utut *categoriale* enuncientur. Sic de Ninive extabat prædictio, *categoriale* prolata: *Iura quadraginta dies Ninive evertetur, Jon. III, 4.* Sed cum egissent pœnitentiam, nec adeo eventus prædictioni respondisset, nemo non intelligit, comminationem hanc *hypothetice* accipiendam fuisse. Similem in modum, Deus Amorrhæis exitium denunciabat, post 400. annos futurum, sed sub conditione impœnitentiæ, *si eo usque accumularent iniquitatem*; Judæis vero excidium urbis & templi, sed sub conditione: *si implerent mensuram patrum*. Itaque omnino poterant, evitare peccatum, toties admoniti, & quæ hinc pendeat, vindictam Dei, salva ejus veritate, expiare. III. Plus quam Stoica assertio est: quod *hominis liberum arbitrium e medio sublatum cupit* Reformatus. Potuisset Abraham, inquit, *positis Pelagianorum & Semipelagianorum hypothesebus*, (his nempe convitiis nos onerat,) *dubitare, de eventu & impletione promissionis, & hęc ratione dubitationem suam excusare: Annon Amorrhæi in peccatis suis usuri sunt libero suo arbitrio? annon est in arbitrio hominis positum, ut positis omnibus ad agendum requisitis agat aut non agat, sed hoc vel illud pro arbitrio possit eligere? Nihil est ergo in hac tua promissione certum, nam possunt illi mensuram peccatorum suorum minnere, prout possunt implere. Verum non fundabat fidem suam Abrahamus, in liber-**



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 25

libertate Amorrhæorum peccata cumulantium, vel eadem intermittentium, sed in infallibilitate prævidentis, & veritate promittentis Dei, quo utroque Abrahamus confirmari poterat abunde. De cætero facile patet, eo collineare universa, ut liberum hominis arbitrium impugnetur, & homo vel infra brutorum sortem dejiciatur, adeoque fatale illud decretum, cujus hæcænus suppudit Reformatos, denuo interpoletur.

§. XX.

Tantum etiam abest, III. ut exclusio a gratia peremptoria hinc elici possit, ut potius luculentissimum præceptum duplex divine existimionum hinc elucescat. Sæpius in hunc lapidem impiant, qui monstrosam Terminismi foetum enixi sunt, Autores, quando utrumque locum ad incrustandam hypothesin suam detorqueant. Sic enim Lipsiensis ille, ostensurus, gratiam revocantem obduratis peccatoribus diu ante finem vitæ penitus auferri, Amorrhæos imprimis allegat, & ex tanto annorum spatio, peccatoribus indulto, hanc thesin defendere conatur, addito epiphonemate: Sane spatium 400. annorum, quod Amorrhæis; Gen. XV, & spatium 120, quod Antediluvianis, Genes. VI. & 40. annorum, quod ex communi calculo obduratis Judæis tribuitur, non ita brevius temporis mora censenda est. epist. ad Dn. Rostensch. pag. Verum enim vero Amorrhæi ante 400. annos nondum omnes nati erant; Ergo a gratia Dei exclusi sunt, antequam nascerentur, & antequam mali vel boni quicquam perpetrarent. Vicissim, per hanc hypothesin, nec Amorrhæi, nec antediluviani, nec Judæi poterant poenitentiam agere, quia per terminum gratiæ peremptorium, id est, ut ipse interpretatur, per voluntatem Dei judicariam jamdiu ante finem vitæ, omni Dei gratiæ fuerat privati. Deinde à limine aberrat Dissentiens, dum in exemplum oblata gratiæ adducit Amorrhæos, Antediluvianos & Judæos, quos Deus in testimonium prorogate gratiæ proponit. Calovius certe, Offender item, & Lyferrus hos ipsos ad demonstrandam præceptum duplex dei allegant. Verba Calovii disertata sunt: Ita Antediluvianis, licet toti peccatis immerfissent, dedit Deus ad respiciendum, centum viginti annos; Gen.

D

VI,



Pl, 3. Cananais seu Amorrhais quadringentos; Gen. XV, 16. Amalekitis ferme etiam totidem. Ex. XVII, 8. Deut. XXV, 17. 1. Sam. XV, 2. &c. Cum primis vero hujus loci est exemplum Israelitarum & Judaeorum. &c. System. Tom. X. p. 401. Pergit tamen Terminifini assertor, & termini sui immutabilitatem defendit: *Nescio*, inquit, an temere quis affirmare ausurus sit, terminum nominatis jam peccatoribus fixum, praesupposita peccatorum illorum contumacia, a Deo infallibiliter praevisa, potuisse salva sapientia & justitia punitione necessaria mutari aut abrumpi. Certe perspicere non possum, ut concessa termini mutabilitate, Deus in eventum incertum, Abrahamo Gen. XV, 16. tempus excidii Amorrhaeorum praesignificare eorum potuerit. *epist. ad Rost. p. 14.* Atqui hic ille error Calvinianus est, quem in Riveto antea discussimus. Nam certa dierum & annorum assignatio, semper supponit conditionem impoenitentiae, non necessario sed mutabiliter futurae; id quod non modo de Ninevitis antea constitit; sed & de Rege Israelis Achabo 1. Reg. XXI, 2. liquidissimum est. Nam hujus familiam se eradicaturum Deus praedixerat, sed intercedente poenitentia Achabi, Deus eidem per vitae tempus parcebat. *ibid. vers. 29.* 2. Reg. IX, 25. Unde relinquitur, salva Dei justitia, hunc terminum & mutari & abrumpi omnino posse. Imo subito Deus loquitur contra gentem, & contra regnum, ad evellendum, ad destruendum & perdendum; sed subsequente poenitentia, aliter loquitur quod si autem conversa fuerit gens ista a malitia sua, propter quam occursum sum contra eam, poenitebit me super malo, quod cogitavi acere illi. Jer. XLIX, 7. 8. Valeat proinde terminus ille gratiae peremptorius, quem Deus sic fixerit, ut ex sententia Navatorum nec mutari, nec abrumpi possit.

XXI.

*Esti vero IV. implet peccatorum mensura sit, & debinet poenitentiae temporales in populo refractarium coacervata: tamen ne sic quidem ille peremptorius exclusus est a DEI gratia, sed bis, velut ultimis Dei excitabit ad poenitentiam acrius incitatur. Amorrhaeos certe pro inevitabilibus habet Adversarius, & qui impleta peccatorum mensura, ad extremum indurationis gradum pervenerint.*



venerint, ab omni spe salutis exclusi. *Disp. de Statu Indurata.*  
 §. XXIV. Sed falsum illud & erroneum est. Nam eo ipso tempo-  
 re, cum avitis sedibus expellerentur illi, miraculis Ægyptiacis,  
 Regumque Amorrhæorum clade perculsi fatebantur, quod Je-  
 hobab Deus verus sit in Cælis & terris. *Jos. II, 9. 10. 11.* Sic & Reges  
 Amorrhæorum, audito, de exsiccato Jordane, miraculo, lique-  
 sciebant corde, & ad agnoscendum Deum Israelis hac fama com-  
 movebantur. *cap. V, 1.* Imo quis nescit, Gibeonitas, qui & ipsi  
 Cananæorum genti annumerantur, initio cum Josua cœdere,  
 cœtervatim ad Ecclesiam Israelis accessisse. *Jos. IX, 3. sequ.* Et quo-  
 modo sibi justitia divina constitisset, si Amorrhæorum posteri-  
 tas, ob peccata parentum, a gratia & spe salutis penitus fuisset re-  
 jecta: Taceo insigne Ecclesiæ Israeliticæ testimonium, quod e-  
 osdem Amorrhæos in exemplum *paucos* duplicis divinæ allegat:  
*Antiquos illos inhabitatores terræ sancta tue, quos exborruisti,*  
*quoniam horrenda opera perpetrabant, per Magicas artes, & sa-*  
*crificia injusta, & filiorum suorum interfectores & comestores vi-*  
*scerum hominum, & devoratores sanguinis delere voluisti per ma-*  
*nuu Patrum nostrorum; Sed & his tanquam hominibus pepercisti,*  
*missisque præcursores exercitus tui crabrones, ut eos paulatim ex-*  
*terminarent.* (ut videlicet spatium pœnitentiæ haberent.) Itaque  
 pergit textus: *Sed paulatim judicabas illos, & locum dabas pœni-*  
*tentia, Sap. XII, 3. sequ.* Saltem hic addo exemplum Manassis  
 Regis Judæ, peccatoris gravissimi, & qui, Scriptura teste, abo-  
 minationes præ Amorrhæis perpetraverat; *2. Reg. XXI, 11.* Quod  
 si ergo converti potuit, qui gravioribus immerfus sceleribus fu-  
 it, quam Amorrhæi, quidni de ipsis Amorrhæis, qui minora pa-  
 traverant scelera, idem quoque sperari potuit? Porro & Judæos,  
*Matth. XXXIII. inconvertibilibus* accenset Litigator, adeoque iis,  
 qui ante 40. annos a Dei gratia peremptorie fuerint exclusi. Ne-  
 que vero inficiamur, illorum indurationem tantam fuisse, ut  
*mensuram patrum suorum impleverint; l. c.* interim tamen ad hos  
 ipsos Christus misit *Prophetas, Sapientes & Scribas:* in quem fi-  
 dem? ut nimirum pœnitentiam agerent & converterentur. Et fa-



ne interfectores Christi, quid atrocius cogitari poterat? quos tamen ipsos ad poenitentiam invitat Petrus: *Num igitur, fratres, periteat vos istius peccati, & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Act. III, 17.* Si excipias: id non accipiendum esse de singulis, sed de quibusdam, scilicet de *convertibilibus*; addit textus: *Deus misit Jesum filium suum vobis benedicentem, ita, ut unusquisque vestrum converteret se ab iniquitatibus suis v. 26.* Et multi eorum, qui audierant sermonem hunc, crediderunt cap. IV, 4. Regerit Disputator: Wann dieses wahr/ daß nach erfülltem Sünden-Maas/ Gott den frevelen Sündern einen Termin gesetzt hat/ so muß Gottes Langmuth gegen solche Sünder endlich in diesem Leben aufhören/ und einen gewissen Termin haben. II. Beyl. s. 7. Respondeo 1.) limitando propositionem majorem: Si, mensura peccatorum impleta, Deus peccatoribus refractariis terminum gratia & salutis aeternae posuit, tum demum sequitur, ante finem vitae *παροδουλας* Dei terminari: Jam vero 2.) nego assumptum: Utut enim Deus saepe terminum salutis temporalis integris gentibus assignet, quo lapsio, ingruat poena, ac ne precibus quidem explari possit; *Jerem. VII, 16. XIV, 11. XV, 1.* inde tamen non sequitur: Deum singulis personis, refractariis scilicet & induratis, omnem gratiam & salutem spiritualem peremptorio quodam decreto, ante finem vitae subtrahere: quia haec phrasis tantum de poenis temporalibus loquitur, ut supra evictum; & vero ab irrogatione poenarum temporalium, quae ad poenitentiam incentivae sunt, ad perpetuam exclusionem a gratia & salute, non valet consequentia. Excipit denique: Es ist sehr ungereimt, ja ein öffentlicher Irrthum/ daß Gott durch grosse Straff/ Gerechte solte allezeit die Busse und Bekehrung der Menschen intendiren. VII, Beyl. p. 95. Sed respondeat Socer ejus Berolinensis: *Utique ad poenitentiam Deus παροδουλας durioribus bisce mediis, (flagellis Turgicis,) hominem allicere intendit; id quod ex Levit. XXVI, 41. probat: Ambulabo ego contra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incurcumsa mens eorum, tunc humiliabitur cor.* 60-  
1777



DE MENSURA PECCATORUM IMPLETA. 29

rum praputiatum. *Disp. inaug. de Muhammetismo, Sect. I. §. 10.*  
 Ego insuper distingvo inter supplicium finale, seu cum fine vitæ  
 conjunctum, & inter supplicium Dei intermedium, & cum proro-  
 gatione vitæ connexum. In priori iterum momenta naturæ di-  
 stingvas, quorum unum moribundi est; alterum, vero mortui.  
 Per illud Deus adhuc conversionem & salutem hominum quaerit,  
 subinde ingemiscens: *quare moriemini? Ezech. XXXIII, 11.*  
 per hoc demum, homines æterno exitio addicit. In posteriori  
 vero nunquam non Deus hominis respicientiam intendit, &  
 quaerit: *Dedi vobis indigentiam panum in omnibus locis vestris: &  
 non estis reversi ad me, dicit Dominus. Ego quoque prohibui a vobis  
 imbrem, usque ad messem: & non rediistis ad me, dicit Dominus.  
 Percussi vos in rubigine, & arugine, multitudinem hortorum ves-  
 trorum & vinearum vestrarum comedit eruca: & non rediistis ad  
 me, dicit Dominus. Nisi in vos mortem in via Egypti, percussi in  
 gladio juvenes vestros, usque in captivitatem eorum vestrorum: &  
 non rediistis ad me, dicit Dominus. Subverti vos, sicut subver-  
 tit Deus Sodomam & Gomorrhā, & facti estis quasi torris rap-  
 tus ab incendio: & non rediistis ad me, dicit Dominus. Amos. IV, 6.*  
*segr.* Ex quo lucidissime patet; poenis temporalibus, quantiscun-  
 que etiam, hominum quaeri salutem. Atque hoc est, quod Psal-  
 tes ait: *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus ipso-  
 rum peccata: Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.*  
*Psal. LXXXIX, 31.*

§. XXII.

*Turpis itaque V. ἀσυνδοχία, ne dicam hallucinatio est, a  
 supplicio finali, ad supplicium intermedium, quod hujus vitæ est; &  
 itemque ab exclusione a gratia & salute temporali, ad exclusionem  
 a gratia & salute spirituali æternæque, subinde argumentari. Pri-  
 or ἀσυνδοχία teties committitur, quoties ab interitu finaliter  
 impenitentium, ad rejectionem a gratia, intra hanc vitam, fit*

D 3

regre



regressus. Perinde enim est, ac si diceret: Statutus homini finis vite est, hoc vel illo ætatis anno; Ergo Deus eousque vitam prorogare non decrevit? Item: Paterfamilias in parabola constituit elapso anno excindere arborem; *Luc. XIII. v. 7.* Ergo ante hunc annum crescendi media subtraxit; Ergo arborem intra hoc tempus crescere noluit. Eodem enim modo colligunt illi: Deus post 120. annos, diluvio delere constituit mundum, & finaliter impenitentes æternam damnare; Ergo ante elapsam hunc terminum, iisdem gratiam conversionis subtraxit; Ergo durante hoc spatio eosdem ab omni salutis spe exclusit. Pari fragilitate & altera laborat collectio, qua illi a *pœnis temporalibus*, certo constitutis & nationi cuidam assignatis, ad *pœnas spirituales & æternas* regrediuntur. Ita Amorrhæis post 400. annos prædictum est exilium; Ergo, colligunt, ante hoc tempus a Dei gratia peremptoria exclusi sunt. Item: Judæis post 40. annos denunciata est urbis & templi eversio; Ergo iisdem ante hoc spatium gratia Dei, & salus æterna peremptorie denegata fuit. Ad hunc modum innumera Scripturæ loca depravant, quæ de pœnis temporalibus argunt: v. c. *Sic dixit Jehovah: Vos deseruistis me; ideo etiam ego deserui vos, in manu Sisaci. 2. Chron. XII, 5. Convertere, o Hierosolyma, ne recedat anima mea a te, nec redigam te in vastitatem, terram non habitabam. Jer. VI, 8.* & id genus plura. Sed quis e denegatione temporalis felicitatis, denegationem salutis spiritualis & æternæ evicerit? Invertendum illud potius est: quia has devastationes & calamitates epidemicas, integris populis denunciavit Deus, signateque prædixit, ideo eo sollicitius ipsorum conversionem quaesivit, eoque ardentius ipsorum salutem anhelavit. Nec obstat nobis illud Apostoli, de Judæis, quo, *cum explerent peccata sua semper, pervenisse in illos dicitur ira DEI in finem. 1. Thess. II, 16.* Nam de exilio, & dispersione Judæorum perpetua, textus loquitur, quam continua peccatorum accumulatione, deinceps promerituri erant. Quam interpretationem probat para sis: *eig vi- A*; quæ ex V. T. desumpta est, notatque calamitatem temporalem,



sem, eamque extremam; ut: cum Cananæi a Josua clade percussæ sunt, εως εις τελειαν; Jos. X, 20. Item, cum Hierosolyma devastanda dicitur, εις το τελειαν. Ezech. XXII, 30. eademque in N. T. excindenda fuit, εως της συντελειας. Dan. IX, 27. Atque hanc phrasin repetit Christus, rogatus de συντελεια Hierosolymæ, Matth. XXIV, 4. dum præmissis signis, venturum το τελειαν, i. e. excisionem, dicit. vers. 6. 14. Itaque eandem denuo inculcat Apostolus, cum excidium Hierosolymæ, & Judæorum exilium propius intelligeret imminere.

## S. XXIII.

Ut vero VI. alteri majus, alteri minus assignatum sit usque ad solvas spatium; tamen per omnia justus est Deus, & justa judicis ejus. Agnoscenda hic impervestigabilis quædam abyssus, misericordiæ & justitiæ divinæ, cum in constituendo, tum in abrumpendo poenitentis spatio, nec id humana mens facile definiiverit. Nam Amorrhæis dabantur 400. anni; b. r. Totidem fere Amalekitis. Ex. XVII, 8. Deut. XXV, 17. 1. Sam. XV, 2. 1. Chr. IV, 13. Judæis in deserto concessi sunt anni 40. Num. XIV, 38. & totidem Judæis post Christum crucifixum, quos Evangelium vocat ipsorum diem. Luc. XIX, 42. Judæis vero ante Christum natum 490. Dan. IX, 24. Antediluvianis, anni 120. Gen. VI, 3. Alias pro singulis hominibus Christus in parabola ponit quatuor annos, B. Lyserus inquit, in Abrahamo. pag. 180. Et licet quosdam spinarum nondum maturarum instar, Deus aliquando abripiat, ad perditionem peccatis promeritam; Psal. LII, 10. tamen, ut pergit textus, confitebitur homo: Utiqve fructus est iustus, & utiqve Deus est justus iudex in terra. v. 12.

## S. XXIV.

Sæpe tamen VII. propter unum alterumque justum, Deus condemnationem peccatorum differt, & universa parcit nationi. Sic Amorrhæis ob familiam Melchisedecianam, & alios quosdam ju-  
sto,



itos, 400. annos indulgebat. Nec Hierosolymæ excidium con-  
 summabatur, donec Apostoli & discipuli Christi essent in vivis.  
 Sodomæorum quinque regnis parcit Deus, quod decem adhuc ju-  
 sti in iisdem reperientur. Genes. XIX, 32. Unde Esaias inquit :  
*Nisi Dominus reliquisset nobis semen, (iustum,) quasi Sodoma esse-*  
*mus, & quasi Gomorrha, cap. I. v. 9.* Et cum aliqui adhuc Dominum  
 sequerentur in tribu Ephraim, dicit Dominus, se nolle eam ponere, ut  
 Adama & Zeboim. Hof. 21, 9. ubi vero nullum amplius invenit,  
 tum sequitur calamitas extrema; testante Deo per Prophetam c  
*Quæsi inter illos virum, qui staret oppositus contra me pro terra,*  
*ne perderem eam & non inveni. Igitur effudi super eos indignatio-*  
*nem meam, & in igne ira mea consumsi eos. Ezech. XXII, 30. 31.*

§. XXV.

Quod si vero IIX. Amorrhæorum aque ac Judæorum pecca-  
 ta, in regione quadam invalescant, nec iusti supersint, qui preci-  
 bus ea expient; manifestum indicium est, exundare peccatorum me-  
 ritum & vindictam DEI provocare. Paganorum peccata, quanta-  
 cunque perpetrari a gente maleferiata possunt, velut in compen-  
 dio sistit Apostolus Rom. I. v. 26. 27. 28. 29. 30. 31. ubi catalogum  
 eorum insignem texit. Judæorum vero scelera, non minori se-  
 rie recenset Rom. II. v. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. seq. Quæ omnia  
 cum scripta sint in commonitionem nostri, mutus utrinque col-  
 latio docebit; longiusne, an propius a mensura peccatorum im-  
 pleta hodie recedamus. Nostrum est cavere, ne mensuram pec-  
 catorum impleamus, aut, si eadem propemodum impleta sit, o-  
 peram navare, ut per serium pœnitentiæ studium peccata rursus  
 ex mensura eximantur, nosque adeo finem fidei no-  
 stræ, salutem animarum, reportemus.

S. D. G.



ED - Beg 2002

01 A 6739

Sb.

Do


Reha ✓

41  
Juli









m. 22  
L. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
MENSURA  
PECCATORUM  
IMPLETA,

GEN. XV, 16. MATTH. XXIII, 32.

QUAM

PRÆSIDE

PRO-RECTORE MAGNIFICO,

DN. JO. GEORG. NEUMANNO,

S.S. THEOL. D. ET P.P. ALVMN. ELECT. EPHORO,  
ET ACAD. BIBLIOTHECARIO.

DOMINO, PATRONO, PRAECEPTORE SVO, PER OMNE  
VITAE SPATIUM SANCTE OBSERVANDO,

PUBLICAE DISQUISITIONI EXPONIT

M. JUST. CHRISTIAN. UTHENIUS,  
CLINGA-SCHVVARZBURGICUS.

AD D. XXX. DECEMBR. ANNO ACADEMIAE SECULARI.

VITEMBERGÆ RECUSA

LITERIS IO. GODOFREDI MEYERL,  
ANNO MDCCLXX.

(4)